

Letter 99a: 15 July 1521, Mainz, Sebastian Rotenhan to Capito

This letter is # 107 in Millet's list. It has been renumbered to reflect the date given at the end of the text.

Sebastianus de Rotenhan, Francus, Germanicus, Iureconsultus, et equus auratus, Vuolfango Fabritio Capitoni sacrae paginae professori, S.D.

Ne autoris huius conditio lectorem avidum prorsus lateat, eruditissime simul atque amicissime Capito, me duxi operae precium facturum, si de eius inculcata vita, laudabilique
5 instituto perfunctorie et velut in transitu meminero. Fuit autem Regino noster Prumiensis monachus, qui in Afflie coenobio mira pectoris synceritate et innocenti simplicitate floruit, primum sub Ludovico tertio, hinc etiam sub Arnolpho Imperatoribus. Agebat autem longo tempore ex praescripto et maiorum imperio et, ut dicitur, sub obedientia tantisper, donec fratrum assensu in Abban delectus patris atque gubernatoris titulum susciperet. Quo munere aliquandiu
10 cum laude functus, citra ullius mali suspicionem, perfidiam tamen, eximia virtuti suae comitem, coactus est pati ac perferre, vel quod natura sic sit comparatum, humanae felicitatis instabilitatem maxime tum falli, ubi maximam prae se fert firmitudinem, vel quod fortunae favor ex dolio (ut aiunt) Iovis nemini asperius attemperatur, quam illi, qui summa meruerit, [gr] hos eutychemata
15 *men tois ponerois kai kakoethesin ekothe ginesthai*. Adeo enim fortuna saevum amat *ludere pertinax*, quemadmodum in Reginone nostro videre est, qui vir erat spectatae probitatis, nemini iniurius, nemini molestus, Richarium tamen quendam iniquiorem pertulit, cuius tandem technis, circumscriptionibus, et insidiis a dignitatis gradu deturbatur haud citra ignominiae notam, ceu perperam coenobio praefuisset. Superis, opinor, ita fieri ad publicam utilitatem permittentibus quo excellens illum ingenium a patrisfamilias curis expeditum, in arcana et secretiores
20 philosophiae recessus totum se possit insinuare, sicut usu venisse licet agnoscere, nam ille, ceu sibi redditus variis omnino literis incubuit, maxime autem rerum gestarum lectioni, quarum cognitio componere nos ad civilitatem ipsi videbatur. Etiam si huius aetatis nonnulli religiosorum, nescio quo zelo et ut dicunt conscientia adducti (quae autem commentitia crebro aut vana mihi videtur) nihil plane attingunt, quod exiguam priscae integritatis indolem oleat,
25 repraesentet, effingat, homines nimirum cauti, ac perspicacissimi temporis observatores. Si quidem nobis periisse iudicant quicquid impensum sit studiis humanioribus, quasi [gr.] anemolia forent, quaecunque veterum memoriis ad excolendos mores efferuntur. Et quasi serio laudata sint, quae illi perplexa et minus firma commentaria domi suae non dico parturiunt, sed abortiunt, iacturamque temporis ipsi non faciant, pingui ocio plerunque defluentes, quorum haud modica
30 pars ignavia corrumpitur ac voluptatum illecebris evirata redditur. Contra vero sedulitas et industria fraudem quasi faciat et telam absolvat inaequaliter. O praepostera pietas, o hypocrisis mordacissima! Atqui nostro Reginoni alia ratio, aliud iudicium fuit, qui non solum monumenta veterum perlustravit, sed ea literis quoque, ut illa aetate politioribus, aliam in formulam traducere sategit. His temporibus etiam, quibus singulae metropoles separatis legibus et romanis
35 pontificalibus haud prorsus quadrantibus dirigebantur, ecclesiastica Germaniae decreta non minus docte, quam laboriose congegessit, quorum exemplar Treverensium Archipraesuli dicatum, nostri aevi spatio apud Moguntiacos, Vangionesque conspicitur. Neque is unicus fuit Germaniae huius instituti monachus, aliis apud primogenitores nostros pari affectione laborantibus: Helmoldus porro Wagirensis alias Holsatius de Teutonicis, Sclavis, Hermannus Veringensis
40 comes, nec non Bruno, utriusque Augienses, Rupertus alias Robertus (tametsi de Gallis ille plura) Widekinus Corbiensis de Saxonibus, Gregorius de omni tempore, et Hermannus de floribus

temporum, omnes monasteriis addicti, Germanorum res gestas certatim posteritati tradidere. Quorum foetura nostrorum temporum inertiae neququam conferenda.

45 Si haec placuisse sensero, mea opera in lucem fortassis prodibit. Unum tamen vellem Reginoni nostro lectorem ignoscere. Nam tractum Cirrhenensem quandam ante plurima huius aetatis secula Galliae Belgicae nomen, ubi modo Germani agunt, abiecissee constat, velut alibi plenius sum deducturus, cohibere tamen calamum non potuit, quin littorales memorati amnis munitiones quandoque Gallis ascriberet. Sed is eius error aequiori animo nostratibus est ferendus, quando cuique concessum, provincias aut priscis medioximis aut modernioribus 50 denique notis repraesentare, modo salva temporum discretionem citra cuiusque praeiudicium, citra contentionem id moliatur. Vale mi Capito, ac e lucubrationibus tuis, tam graecis, quam latinis, quibus reipublicae usui esse poteris, ardentius insiste. Datum Moguntiaco in aulica et exercitatoria utriusque nostrum palaestra. Id. Iul. Anno salutis M. D. XXI.